

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**


**VD17 VD17 3:315948Z**

XIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

nolit. Deus te Ecclesiae & Scholae saluum ac incolumen conservare velit.  
D. D. Pappo & D. M. Floro, meam salutem ut dicas, officiosè peto.  
Ex Tubinga, 28. Junii, Anno 80.

Joannes Brentius, D.



XIX.

**S** Quo loco sint, Reverende vir, res N. Boxleri, Pastoris olim Wissenlo-  
chenensis, haud te ignorare arbitror. Condolemus ei ex animo propter in-  
gentem miseriam & calamitatem, in quam incidit, nescio quo fato (ut ita lo-  
quar) impertivimus itaque ei literas Intercessorias, quas unà & Studtgardiani  
& Tubingenses Theologi, qui hisce diebus, unà ante discessum nostri Cancellari-  
rii, Bebenhulæ fuimus, quid simus impetraturi, dies docebit. Jam, ut ejus-  
modi homines, animo ægri, omnia graviter accipiunt, altera hæc videtur sub-  
sequuta calamitas, quod filius, qui has ad te perfert literas, repulsam passus est  
in Stipendio Martiniano nostrate. Verum id non ob adolescentis ruditate-  
m, aut imperitiam factum est, satisfecit enim nobis pro ratione ætatis: Sed  
legibus & statutis, quibus jubemur severissime, doctissimos recipere. Habuit  
autem competitores plurimos, & quidem in hoc numero Baccalaureos octo,  
quorum unus tantum est receptus, reliquis repulsam patientibus. Petiit itaque  
à me perturbatissimus pater, ut filiolum tibi commendarem, quo tuo con-  
silio, autoritate & auxilio alicubi apud vosei prospiciatur, ne studia foeliciter  
cæpta deserere in medio quasi cursu cogatur, quo nihil utriusque tristius accide-  
re posset. Quare rogatus rogo, nec verba plura faciam, cum & te miseriam  
horum intelligere sciam, teque pro tuo amore erga studia, & affectu erga ad-  
flictos, juvare velle minime dubitem, & juvare etiam eo loci posse non igno-  
rem, nec meis literis tibi occupatissimo molestiam creare velim. Vale  
in Christo, quem ut te Ecclesiae quam diutissime conserve, toto pectore oro.  
Datæ Tubing, Calend. Julii, Ao. 80.

T. T.

Jacobus Heerbrand, D.

XX.

*Salutem à Filio DEI. Reverende Dn. D. spectabilis Decani, Collega honorande.*

**L**Egi Epistolam Reverendo Dn. parenti inscriptam, eamque per omnia pro-  
bo. Ego nihil magis in vobis habeo, quam ut Illustrii. Elector masculæ  
K k k k

se